


ANAMNESIS,  
SIVE  
COMMEMORATIONIS  
SANCTORVM HISPANORVM,  
*AD ORDINEM, ET METHODVM*  
MARTYROLOGII ROMANI,  
QVO VTITVR ECCLESIA CATHOLICA;  
*AVCTORE*

D. IOANNE TAMAYO SALAZAR.

I. V. C. Presbytero Ilipensi Beturi-Turdulo; Illustrissimi Domini,  
ac Domini DIDACI DE ARCE REYNOSO Episcopi,  
& Generali Inquisitoris Hispaniæ Secretario.

TOMVS TERTIVS.



LVGDVN I.

Sumptib. PHIL. BORDE, LAVR. ARNAVD, & CL. RIGAVD.


*m. DC. LV.*

SDC MMXIX M SUPERIORVM PERMISSV

Hæc sunt quæ de hac TRANSLATIONE elicere valuimus, & quæ pro quilibet urbe, & Monasterio monumenta recensentur. Attamen Dvo h̄ic adnotare placuit ad elucidationem auctographorum suprà memoratorum: ALIVD est, ut quid licentia Regis desiderabatur, ad transferenda CORPORA Sanctorum, ita ut opus fuisset SS. Dominicum, & Garsiam, Regem adire? Cui dubio notandum est ex Imperatorum rescripto in l. Nemo, C. de Religios. & sumpt. funer. nemini licere humanum corpus ad alium locum transferre sine Augusti affatibus. Quod & à Patribus Concilij Moguntini cap. 15. comprobatum credimus ex illis verbis: CORPORA Sanctorum de loco ad locum nullus transferre presumat, sine consilio Principis, vel Episcoporum, Sanctaque Synodi licentiā. Quæ verba transtulit Gratianus in c. corpora, de Consecrat. Distinct. i. vbi gloss. verb. Principis, prosequitur: Cum hoc (scilicet SS. Corporum Translatio) esse non potest sine scandalo si fieret sine consilio Principis, & specialiter de Ecclesiis, quarum est Patronus. Exempla qui velit adeat Ioannem Ferrandum in Disquisit. Reliq. lib. i. cap. 7. fol. 217. ALIVD est circa momenū iurisurandi ad Reliquias Martyrum, de quo quia plura agemus infra Tom. 5. usu fuit. Die XXVII. Octobr. hic tantum Scriptorum de hoc agentium nomina per remissiōnem exponemus. Gretser. de Cruc. cap. 83. lib. 1. & lib. 2. cap. 17. & 21. & lib. 5. Paralip. fol. 83. & seq. S. August. Epistol. 137. S. Greg. Pap. Hom. 32. in Euang. & lib. 11. Epist. 10. S. Gregor. Turon. de Glor. Martyr. lib. 2. cap. 38. Plura etiam congerit Amicus Noster Ioann. Ferr. d. Disq. Reliq. lib. 2. cap. 13. fol. 475.

Licentia  
ad transfe-  
renda cor-  
pora San-  
ctorum re-  
quiritur, &  
quare.

Iurare ad  
corpora Sā.  
ctorum in  
usu fuit.



## QVARTO IDVS MAII. DIES XII.

A. In Diœcesi CALAGVRITANA Hispania apud Rucones S. DOMINICI cognomento CALCIATENSIS, qui cum Religionis cucullam induere satageret, & B. AEmilliani fratribus adhærere percuperet, ab eis explosus, S. Gregorij Ostiensis discipulus factus, eius est vestigia securus, donec ab eo diuisus, syluam arborum densitate confusam sternit, hospitium adificat, viam aperit, quā peregrini Compostellam tutò procederent, pontem extruit, & urbem; & miraculis tandem clarus obdormiuit in Domino.

B. Apud PORTVM-VIRIDE M Cathalonia in Hispania, S. PANCRATII Eremita, qui ex Italiâ oriundus, cum apud Longobardiam secessisset, B. Eudaldum ad fidem conuersum, in Christi preceptis instruxisset, è patriâ exterritus, & in Cathaloniam nauigasset, ibidem per aliquot annos vita solitaria incumbens, de morte conscius, ad vitam illustris Confessor properauit aeternam.

C. NUMANTIAE in Hispania Tarragonensi festum Translationis sacrarum Reliquiarum BB. NEREI, ACHILLEI,  
Mart. Hisp. May.

**G**PANC R A T I I Martyrum, quas in Hispanias ad-  
uexit S. Eugenius I. Toletanus Episcopus, & quarum ad-  
huc memoria nostris seculis perseverat.

**D.** ROMÆ natalis S. SOTERIS Virginis, & Martyris,  
cuius sacra lipsana in Cœnobio Sanctimonialium Sanctissimi  
Sacramenti Madridensi, honorifice coluntur, & adseruantur.

## NOTE.

A.  
Martyrolo-  
gia.

Scriptores.



**S**ANCTVS DOMINICVS Calciatensis Confessor.] Eius memo-  
ria in Romano Martyrologio hoc die inuenitur ; cui conueniunt  
Castellanum P. Vasq. Lusitanum, P. Lupi, & Hispanum MS. P. Higue-  
ra; necnon Ioann. Molan. in Addit. ad Vſuad. Arnald. VVion  
in Monastic. & Hugo Menard. in Benedictin. Sed quo iure, inter  
suos isti Martyrologi Sanctos, nostrum reponant, non inuenio ; nisi ex hisce  
VVionis verbis : *Et si non ignorem eundem (DOMINICVM) vitam Monasticam so-  
lemniter professum non fuisse, quod ipsis in Cœnobis, in quibus vivere peroptabat, suscep-  
tum minime fuerit, placuit tamen hic inserere, quod ex Historys cognouerim, eundem ad fi-  
nem usque vita habitum S. Benedicti gestasse, & quod opere nequinit, voluntate per-  
fecisse.* Hinc colliges nequaquam fuisse Monachum actu, imo nec habitu, cùm  
hoc ex Nostris non patescat Historiis. De eo scripsere Marianus Siculus de Reg.  
Hispan. lib. 5. Alphons. Vener. in Enchirid. Temp. fol. 154. Marieta Histor. SS. Hispan.  
lib. 1. cap. 11. & lib. 6. cap. 18. P. Marian. Histor. Hispan. lib. 10. cap. 7. P. Truxill. in The-  
saur. Concionat. tom. 2. fol. 1109. Ioann. Maldonad. Hist. SS. fol. 113. Ioann. Haraxus  
eadem Histor. fol. 445. Ex Florib. SS. Vega, Sanctorus, Æmillianus, & Villegas. Ex Bre-  
uiariis Antiquis Hisp. Compostellanum, Calagurritanum, Placentinum, Palentinum,  
& alia complurima. Eius Acta patrio sermone descriptis P. F. Ludouicus de Vega ty-  
pis apud Burgos edita Ann. 1606. Illa ex Legendario Asturicensi ab hinc ccc. LXVII.  
ann. MS. dabimus.

## ACTA S. DOMINICI CALCIATENSIS Confessoris Hispani Eremita; ex Leg. MS. Asturicensi.

Loc. I.  
Origo.

Eremita.

Loc. II.  
Ordinem  
Benedicti-  
mon ingre-  
discurat, sed  
respuhit.

Loc. III.  
Cuidat Ere-  
mita abhe-  
ret, à quo  
deinde di-  
scedit.

**I**N Dei Omnipotentis honorem, & B. DOMINICI Confessoris, pauca de  
eius Vitâ & Miraculis plurimis, adiuuante Domino, prosequemur. Beatisimus  
igitur DOMINICVS laica professionis, & illiteratus existens, è VILLORIA  
in Cantabriæ finibus positâ originem duxit. Qui ad partes Ruconiaæ gres-  
sum dirigens, quasi ad sua dispositionis portum peruenit. Ibique per aliquos  
dies moram faciens, statuit intra se, communem vitam, in contemplationem  
mutare.

**A**D Abbatem igitur Valuaneriæ Ordinis S. Benedicti celeriter tendens,  
humiliter petiit, se in eius admitti consortium, & sacrarum doctrinæ imbu-  
literarum. Cuius voto, cùm prefatus Abbas renueret, Vir Sanctus ad S.  
Æmilliani Cœnobium accessit, & Abbatis presentiam adiuit, ut suum pro-  
positum adimpleret. Abbas enim vita sua deputans occultare infamiam, ut  
alter fecerat, ipsum refutauit. Impar enim morum proprietas mores di-  
screpantes sibi minimè appetit sociari. Inde Vir Sanctus recedens, ad quen-  
dam S. Eremitam, qui circa Monasterium S. Æmilliani degebatur, per-  
rexit.

**E**REMITA solitariam ducens vitam, parvunculam Orationis domum sibi  
composuerat. Habito protinus vicissim de contempta Mundi sermone, adiecit

Eremita:

## Maij Dies XII.

*Eremita:* Si locus iste tibi placet, cedere præstò sum, festinabo mihi aliud parare. S. DOMINICVS respondit: Nolo sic tuis commodis ditari, ut tua Dispositione priueris. Sic sancto vale dicens Eremita, ad Borouanos profectus est fines, qui nunc CALCIATA vocantur, & à peregrinorum strata non minimo distat sive; quo in loco cellulam in honorem B. MARIE fundauit. Per lustrum ibi, & amplius diutinans, hortum fertilem, cum amanis arboribus, & vineis facundissimis plantauit.

Eodem quoque tempore, quidam sanctus Episcopus Gregorius nomine, in partes Hispanie ad pradicandum Dei verbum peruenit. Quo auditu, B. DOMINICVS ad ipsum tendens, ut animam eius salutaribus doctrinis reficeret, ipsius discipulus efficitur, illumquè est longo tempore, usque ad obitum eius, comitatus. Beatus igitur DOMINICVS sancto priuatus patrono, quid de suo diffiniret statu cogitauit. Considerato enim loco, ubi Christi pauperibus suam substantiam distribueret, tandem Villam aggressus est, qua ab ipso sortita est nomen, scilicet S. DOMINICO de Calciata, ubi nunc veneranda consistit Ecclesia, in qua eius sanctissimum Corpus honorifice quiescit sepultum.

Locus iste tunc erat nemoribus densus, & latronibus frequentatus, & transiuntibus valde periculosus: modo est fertilis, & amarus, per quem undosa lympharum vorago fluebat, ad cuius evasionem, pontem sibi fundare disposuit. Domo tamen sibi, & familia sua in primis instructa, & prope ipsam parvam orationis domum in honorem B. Virginis fabricauit. In hac Vir beatissimus crebro intendens orationi, ad sustentandam corporis debilitatem usque ad cellam baculorum sustentaculum supponebat. Ad Pontis quoque adificationem, quasi ad opus commune, auxilium Villarum circumiacentium implorauit. Habitatorum vero ipsi huic tam pio operi unusquisque pro suis viribus succurrebat.

Quod a M festo, huius operis causâ, ruricolas de corporali subsidio in Ecclesia ad Missarum existens solemnia requisiuit. Petitione S. Viri populo exposita, Quidam animalia, alij currus, alij vero personaliter auxilium promiserunt. Tunc quidam rusticus peruersus, & indenotus, affectans sancto Patri illudere, cum haberet in Montanis duos Tauros ferores, quos nunquam tangere potuit, dixit: Ego duos Tauros, quos in montibus habeo in subventionem Pontis illius per diem unam promitto; ita tamen, ut Pater DOMINICVS ipsos de monte perducat, & ad currum vehendum simul coniungat. Almus Deo DOMINICVS, cuius spiritus caelo inhærebat, subridens, ait; Conditionem voti tui, opitulatione diuinâ completere tentabo. Tauri vero viso B. DOMINICO, omni ferocitate deposita, a S. Viro sunt per cornua capiti, atque iugo vehiculi, cum omni suavitate, coniuncti; qui lenius, & equius alius bobus domitus, onus sibi impositum ad pontem traxere predictum.

Septem quoque annis antequam Vir Beatus ab hac vita, ad Dominum migraret, sibi lapideum excidit sepulchrum; quod singulis annis annona replebat, pauperibus per industriam misericorditer diuidenda. Cum quadam eius commater ad eum visitandum, quadam die venisset, Vir sanctus dixit ei: Commater Deo deuota, mansiunculam, quam nuper construxi, nunquam tuis oculis conspexisti. Cumque Sepulchrum ambo cernerent simul, commater adiecit: Quare membrorum tuorum requiem, ab Ecclesia tam remotam tibi parasti? Cui B. DOMINICVS: In prouidentia diuina est me ab Ecclesia in posterum nullatenus sequestrari, aut enim Ecclesia, nostra sequetur vestigia, aut Nos eius beneficia prosequemur. Mirares! Quod Vir Dei ore prophetico predixerat, hodie completum conspicitur; quia ad eius monumentum, Ecclesiam peruenisse, cunctis manifestum appareat.

His, & aliis quoque plurimis pollens virtutibus, erumnas huius seculi varias sustinendo patienter IV. Idus Maij Anno Domini M.C. IX. multis plenus meritis gloriosis migravit a seculo, ad Dominum, Corpus in terris, caelo spiritum

Mart. Hisp. Maij.

Leit. IV.  
S. Gregorio  
Ostiensi se  
subjicit.

Leit. V.  
Ponem in  
Calcata  
extremi.

Leit. VI.  
Duos Tau-  
ros feroce-  
mansuefe-  
cit.

Leit. VII.  
Prophetat  
quaerentu-  
ra: sunt in  
loco eius se-  
pulchri.

Leit. VIII.  
Moritur.

Sepelitur.

Ruficrus  
obcucatur.Lect. IX.  
Militem à  
demone li-  
berat.Lect. X.  
Peregrinus  
fuscitatur.Miraculū  
de Gallo, &  
Gallina,  
quid?Aliorum  
Scriptorum  
errores cir-  
ca originem  
deteguntur.

sum destinando. Cuius Corpus gloriosum, deuota eius familia, in tumba, quam ipse sibi parauerat, honorifice tumulauit. Accidit postmodum, quod Agricola quidam arbores, quas Beatus Dei Confessor, in horto, & extra plantauerat, properauit, accepto securi, radicitus extirpare. Qui dum incisioni propensiùs instaret, & à vicinis transiuntibus, ob hoc continuè increpareretur, nec desistere velle, divino flagello luminibus est priuatus. His mirandis, miracula stupendiora succedunt.

ITEM quidam Miles valde locuples de Gallicanis partibus oriundus, male à demonio vexabatur, qui gratia recuperandi sanitatem ad S. IACOBVM peregrè veniens, per villam huius Sancti transiit. Cumque ligatis pedibus, ac manibus, ad eius tumulum duceretur: statim fuit à demonio liberatus. Ipso verò iter incepsum prosequente, hostis antiquus omnes eius evocationes, in recompensationem amissi corporis, antequam limina B. IACOBI visitaret, interfici procurauit. Miles enim de peregrinatione rediens, cum ad pontem S. Viri appropinquaret, sciens se eius precibus liberatum, à descensu pontis, usque ad sanctum sepulchrum eius, flexis, nudisque pedibus, & genibus, laudans apud Deum ipsius meritum, & potentiam, est cum magna eius deuotione, & reuerentia regressus. Vigilijs verò ibidem ab eo deuotissime celebratis, ac muneribus largissimis solemniter oblatis, ad propria est cum ingenti gaudio, & exultatione reuersus.

ITEM accidit, quod cum peregrinus quidam prope locum illum diuertens obdormiret, casu exorbitantes boues, rotâ miserum oppresserunt. Quod ut agnouit Vir Dei, defuncti manum tenens, eleuatis oculis in cælum, in hanc deprecationem prorupit: Domine Deus Omnipotens, qui me in hunc locum tua prouidentia adduxisti, vt in tuo nomine omnia hæc operarentur insignia, ostende potentiam tuam, vt omnia quæ tua ædificantur virtute in hoc loco, tuo noscantur Nomiini ædificata, à quibus generis humani, & veritatis inimicus aufugiat, & concede vt anima huius famuli tui ad suam reuertatur mansionem, & omnes credant extare hic tuum brachium cum potentia. Quo dicto, defunctus ad vitæ spiritum rediit.

Hactenus Acta. Alia complura miracula qui legere cupit, adeat P. Vega in eius Codice Hispanico; Nunc tantum addam illud celeberrimum de Gallo, & Gallina ad eius tunulum permanentibus. Ibant (inquiunt Fasti Mariani fol. 362.) coniuges p̄i Compostellam, & trahebant pietatis sue comitem filium forma liberali iuuenem. O ut periculose castitas peregrinaris! Ad S. Dominici Calciatensis urbem perueniunt. Hospitis filia oculis capta adolescentis, capere etiam ipsum nititur. Euadit hic amoris lagueos, sed non odij. Subdola enim inter sarcinulas castissimi argenteum craterem condit, & abeuntem de furto accusat. Damnatur, ducitur, & infurcam tollitur, sed non moritur innocentia. Dum enim mæsti parentes iter relegunt, dum aegre & pedes trahunt, & animas, senectutis scipione filio amitto, dum frui illos vel pendentis aspectu iuuat, ecce ab infelici arbore filius: Quid viuo lachrymis filio parentas mater? viuo, B. DOMINICO subcollante: i, Iudici dic, ne damnare pergas, quem mors absoluit. Vix hac ille ad matrem, cum mater hoc ad Iudicem refert mensa accumbentem. Hic; tam scilicet filius tuus viuit, quam assus hic cum gallina sua gallus, qui laetus, unctusque, sepulchrum stomachum expectat. Iam carpere parabat, cum gallus, & gallina in vitam se erigunt; innocentia victrixi alis applaudunt, gallus etiam Peana canit. Ergo damnat se ipsum Iudex, & innocentem missum facit. Volnrum verò proles postuma etiam hodie plumas suas cum laudibus S. DOMINICI Calciatensis in omnem orbem spargit, nunquam omnes, licet tot quotidie vellentes, euellendas. Sic legenda sunt verba Fastorum, nam quæ inibi dicuntur de B. MARIA, & S. IACOBO subcollantibus puerum pendentem, absunt à nostris historiis, vt videre est apud Marianam, Marietam, Venerum, & Vegam.

Nec sunt audiendi, qui S. Confessorem ex Italia oriundum somniant; quia vt & ipsi affirmant ex Oppido VILLORIA illum ortum constituunt. Nullum autem in Italia oppidum tali inuenitur nomine consignitum; at sic in Cantabria Hispaniæ: ergo errant qui illinc oriundum commentant. Simili modo alij, inter quos Philipp. Ferrar. in Topograph. SS. lit. C. fol. 30. qui apud Oppidum LA CALCADA

Placentina

*Placentinae dioecesis, in Itinere ex Placentia Hispaniae, ad Salmanticam, primos visiuæ lucis radios conspexisse Dominicum, hallucinantur, fortè allecti ex nominis tau-thologia; quia tale quid vix inuenitur scriptum. Aliam infecutus est viam P. Marieta, & etiam cum eo Mend. Sylua in Populat. Hispan. fol. 24. cap. 22. qui ad urbem VICTORIAM reiicit S. Confessoris originem, sed proculdubio, absque duce, & historica ratione. Nec me mouet Martyrologium Calagurritanum MS. à quo hæc opinio desumitur, vt ipse fatetur, afferens, in illo scriptum inuenisse Victoria; nam inter VICTORIA, & VILLORIA, penè nulla discrepantia est: & vbi C, & T. literæ conspiciuntur, duas LL. substitui debere antiquorum Breuiariorum compaginata veritas persuadet: sic in antiquissimis Burgensi, Asturicensi, Compostellano, & alijs suprà relatis Breuiaryjs inuenitur.*

CIRCA obitus S. Presbyteri diem, & annum vera in ACTIS supputatio est; quia *De Die,* & si *S. Gregorius Ostiensis*, cuius fuit discipulus DOMINICVS, obiit Anno M. XLIV. & *Anno obi-* post eius transitum Noster S. Eremita *Quinque* consumpsit annos in extinctione *tui inuesti-* Pontis, post cuius fabricam, *Sexaginta* superuixit annos, proculdubio eius mortis *gatio.* tempus ad Annum M. C. IX. consignandum erit. Sic etiam F. Ludouic. de Vega *Histor. S. Domin. Calciat.* 1. p. cap. 24. fol. 87. col. 2. Hinc non est cur Baronio *in Not. ad Roman. Martyrol. b. d. lit. I.* nec Canisio *in Notis ad Flor. SS. Ribadeneyr. tom. 2. fol.* 175. inhæreamus, dicentibus, S. Virum ad Annum M. LX. occubuisse, quia hæc computatio fallit, ex rationibus hīc, & supra die IX. huius Mensis allatis, & ideo pro hac opinione stat communis sententia.

**CALCIATA.** Vrbs est celebris in Ruconia prouincia Hispania, quam Rioja ap- *Topogra-* pellit, sita in Dioecesi Calagurritana, Cathedrali Sede condecorata, ita ut Epi- phia. scopus Calagurritanus, vnà & Calciatensis vocitetur. Hæc à S. DOMINICO Nostro sumpsit exordium, nam illi territorium concessit Burenanum Adephonus VI. Ca- stellæ Rex, vt Ecclesiam exstrueret. Post Alphonsus VII. cuidam Abbatii Sanctio An- no M. C. XXX. indulxit, vt illam Ecclesiam adaugeret, & in tantum creuit, quod Anno M. C. XXXVII. Calagurritana applicaretur Basilicæ; hinc auspiciis cuiusdam *Privilégia.* Proceris Naiarensis qui Burgum addidit, sic fuit amplificatum Oppidum, vt Anno M. C. LXXX. Rodericus Episcopus in Cathedralem erigeret Ecclesiam. Videndi de hoc Garibay. lib. 1. c. 10. lib. 11. c. 26. & 28. & alibi.

**S. PANCRATIVS Eremita.** ] In peruetustissima *S. Eudaldi Martyris historia,* B. quam *Rivipollense* conseruat Cœnobium, referuntur Acta S. PANCRATII Eremitæ, A quibus & *S. Eudaldi* in fide Magistri, quæ suprà die antecedenti subiecimus. Et licet P. F. Vincentius Domenec in *Historia SS. Cathaloniae*, nec ullus alias de isto Sanctissimo Anaehoreta verba fecerit, forte propter diei transitus ignorationem, ex quo sub silentio illius Angelicam vitam agnoscimus tumulatam; Nos qui eius sanctitudinem ex ecphrasi Actorum *S. Eudaldi* canonizatam perpendimus, in huius diei anamnesim tanti Viri supponimus, quia de alio *S. Pancratio* ab Ecclesia recd- Quareh.d. litur natalitium, & non absque duce; nam frequens est inter Martyrologos pla- festum. citum, quando dies transitus ignoratur alicuius Diui, festum dormitionis appinge, quo alterius eiusdem nominis celebratur memoria. Hoc & Nos insequentes exemplum cum hac die annuetur *S. Pancratij* Martyris commemoratio Romani, itidem Nostris isto die subscribere acta properauimus.

### ACTA S. PANCRATII ANACHORETÆ, & Confessoris, ex Actis MS. S. Eudaldi Martyris.

PANCRATIVS natione Italus, origine Longobardus, à lascivientia adolescentia primordiis, sibi vitam solitariam elegit in eremo. Cuius ut melius conquereret possessionem, mundi contagia fugiens, in vastam se solitudinem, ut Deo, & sibi viueret, constanti resignatione relegauit. Ibidem quippe tugurio, & Oratorio constructo, per plures annos, in contemplatione, iesu- nys, & Oratione vitam absque tergiuersatione transegit. At quadam die, dum in oratione persisteret, damula fugitiua à canibus infecuta ad usque Ora- torij centrum, est pauida fatigazione progressa. Quæ ad S. Viri pedes pronoluta;

Origo.

Secessit in  
Eremum.Dama ad  
eius pedes  
pronoluta.